

nichil curavit. Sed in Praga et in Bohemia more porcino manens, illud sollempne studium ibidem in Praga ad nichilum redegit. Nullum sollempnem virum nobilem seu litteratum curavit et doctores omnes meliores quasi expulit. Quorum aliqui ad Renum Heidelbergam et alibi venerunt et ibidem se principibus coniunxerunt et ad eiusdem regis depositionem laboraverunt. Et sic tandem post multas ammoniciones propter eius vicia et demerita depositus est anno domini 1400, feria sexta ante Bartholomei, et post depositionem suam vixit annis ad minus 16, nichil contra faciens. Quem eciam frater suus Sygismundus rex Ungarie cepit et multis ebdomadis captum in Wyenna detinuit, et postea liberatus mansit in Bohemia more solito.

Huius Wentzeslai tempore multa notabilia et enormia facta in mundo perpetrata sunt propter suam inadvertenciam et stulticiam. Eius tempore rex Littawnorum paganus ad sugestionem Polonorum et Cracoviensium (*hs.*: Cracovieñ) recepit vi filiam regis Ungarie, reginam Polonorum, copulatam (*hs.*: copiatam) tamen Wilhelmo duci Austrie, et eam duxit in uxorem, et christianus effectus est, et hodie bonus est christianus cum tota Littawania. Item rex Karolus de Duracia Ungariam intrans, ibidem ab Ungaris interfectus. Item rex Anglie per ducem Lancastre (*hs.*: lanttäste) consanguineum suum captus et interfectus, et ipse dux regnum (*hs.*: regem) Anglie accepit ac filiam suam dedit Ludewico comiti (*hs.*: comite) palatino Reni, filio Ruperti Romanorum regis infrascripti. Item rex Francie maniacus effectus et nichil valens. Item regina Dacie vicit regem Swecorum et Nortwegiam subiugavit, et ita mansit regina super tribus predictis regnis, et filius eius

* f. 238'. post eam *usque in hodiernum diem. Item anno domini 1396. in Octobre in quadam expeditione Sigismundi regis Ungarie, cui in auxilium venerant infiniti nobiles de omnibus partibus christianismi (*hs.*: christianissimi) contra paganos et Turckos, — cum quibus inierunt bellum durissimum. In quo bello fuerunt plus quam triginta milia christianorum interfecti et reliqui capti. Et fuit ibi flos milicie multarum regionum, regnorum et provinciarum, scilicet Francie, Anglie, Almanie, Ytalie, Bohemie, Hispanie et Polonie etc., quorum paucissimi evaserunt. Item anno domini 1400, die 11. Januarii dominus episcopus Herbipolensis de Swartzburg obtinuit victoriam contra civitatem Herbipolensem et eam sibi subiugavit, et cives habito bello in campis cum eodem domino suo episcopo, et interfecti sunt de civibus rebelles in campis et in civitate ad quingentos viros.

Innocencius sextus de Avernia successit anno domini 1352. et sedit annis 10. Obiit in Aviniona, ibidem ad Carthusienses sepultus, quod monasterium mire pulchritudinis ipse